



Opvs Theologicvm

Mauro, Silvestro

MDCLXXXVII

Q. 295. Vtrum matrimonium contractum per Procuratorem, vel per epistolam sit validum, ac sit sacramentum conferens gratiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84149](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84149)

QVAESTIO CCXCV.

Virum matrimonium contractum per Procuratorem, vel per epistolam sit validum, ac sit sacramentum conferens gratiam.

PRO solutione quæstionis, quæ grauissima est, plura puncta sunt examinanda, Quæritur igitur primò, vtrum matrimonium contractum per Procuratorem ante Tridentinum fuerit validum.

Respondeo affirmatiuè, vt deciditur cap. finali de Procurat. in 6. & cap. honorantur 32. quæsti. 2. & l. sufficit ff. de sponsalibus. Ratio est, quia contractus matrimonij sicut alij contractus ex natura sua fieri possunt per procuratores; sed Christus eleuans matrimonium ad rationem sacramenti non mutauit naturam contractus; ergo &c.

2. Quæritur secundo, quæ conditiones requirantur, vt procurator nomine absentis validè contrahat matrimonium.

Respondeo quatuor requiri conditiones. Prima est, vt habeat speciale mandatum ad matrimonium; nec satis est generale ad omnia negotia, expressis aliquibus exigentibus speciale mandatum, sed debet esse nominatum ad matrimonium; & ex proportionali ratione debet esse nominatum ad sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium. Secunda est, vt sit mandatum ad contrahendum cum certa persona, nec sufficeret generale ad contrahendum cum quacumque general. 34. ff. de tit. nupt. sufficeret tamen, vt quamuis in mandato non exprimeretur persona, oratenus, vel per literas exprimeretur. Tertia est, vt Procurator per se ipsum exequatur. Non enim substituere potest, nisi expresse hoc in mandato continetur cap. finali. de Procurat. in 6. Idem dicendum de Procuratore dato ad contrahenda sponsalia. Quarta, & vltima conditio est, vt tempore, quo procurator contrahit, non sit reuocata potestas. Si enim reuocata sit, quamuis reuocatio lateat Procuratorem, & alterum coniugem, matrimonium est irritum, vt habetur expresse dicto cap. finali. Hæc autem reuocatio effectum habebit, reddetque matrimonium irritum, quamuis iuramentum de procuratore non reuocando præmissum sit. Reuocans enim erit reus periurij, sed reuocatio erit valida. Similiter reuocatio Procuratoris merè interna valebit quoad forum conscientia, licet quoad forum externum incumbat reuocanti eam testibus probare. Sufficiet etiam reuocatio tacita mandati.

3. Quæritur tertio, vtrum si postquam, quispiam Procuratorem misit, nec consentit nec dissentit, sed in alijs occupatur, matrimonium valeat.

Respondeo affirmatiuè, vt ex Syluestro, & alijs docet Sanchez lib. 2. disput. 11. nu. 11.

Ratio est, quia prior consensus virtualiter durat, vsque dum reuocetur. Et confirmatur exemplo baptismi. Hinc inferitur, si procuratore misso, dans mandatum incidat in amentiam, adhuc matrimonium validè fieri per procuratorem.

4. Quæritur quarto, vtrum si dum quis mandatum dedit, consensum finxit, tempore tamen, quo procurator eius nomine contrahit, habet verum consensum, matrimonium valeat.

Respondeo affirmatiuè, quia consensus debet tunc dari, cum matrimonium conficitur.

5. Quæritur quinto, vtrum Procurator ad matrimonium possit constitui absque scriptura.

Respondeo affirmatiuè: cum nullibi inueniatur statutum, vt requiratur scriptura.

6. Quæritur sexto, vtrum in procuratoribus requiratur diuersitas sexuum.

Respondeo negatiuè, ac dico duos viros, & duas fœminas posse esse procuratores contrahentium. Hæc enim diuersitas requiritur solum in ijs, quæ matrimonio iunguntur.

7. Quæritur septimò, per quæ verba procurator debeat contrahere.

Respondeo, quod per hæc verba, vel æquivalentia: *Talis consentit in te, vel accipit te in virum, vel uxorem, me mediante; vel recipio te in virum, vel uxorem nomine talis persone.*

8. Quæritur octauo, vtrum valeat matrimonium, si procurator mandati fines excedat, vt si detur mandatum contrahendi, certa dote constituta, & procurator contrahat, ea conditione non seruata.

Respondeo negatiuè, quia mandatum ad vnguem seruandum est l. diligenter ff. mandati, & vbi quis limites potestatis sibi traditæ excedit, priuatus censendus est. Si tamen in commissione dicatur: *Do tibi facultatem contrahendi matrimonium iuxta formam Tridentini, & præmissis denunciationibus,* matrimonium esset validum, etiam si omitterentur denunciationes, quia cum exprimitur in commissione forma iuris communis, eo modo, quo iure communi inest, non est intentio inducendi nouam formam, & conditionem, sed est admonitio quædam, vt seruetur forma Iuris communis.

9. Quæritur nonò, vtrum matrimonium per procuratorem contractum coram parochio, & testibus, post Tridentinum sit validum.

Respondeo aliquos negasse, ac dixisse, per Tridentinum correctum esse cap. finali. de Procurat. in 6. in quo statuitur validum esse matrimonium contractum per procuratorem. Dicendum nihilominus etiam post Tridentinum validum esse matrimonium per procuratorem contractum coram Parochio, & testibus, nec correctum esse cap. finali. de pro-

procurat. in 6. Probatum primo ex praxi totius Ecclesie. Nam post Tridentinum passim celebrantur matrimonia per procuratorem, ac esset intolerabilis error in ecclesia, permittere tot matrimonia irrita. Secundum Tridentinum ideo irritauit matrimonia clandestina, quia voluit matrimonia constare ecclesie; sed si matrimonia per procuratorem contrahantur coram paroco, & testibus, eo ipso constant ecclesie; ergo &c. Tertio ideo Tridentinum irritauit matrimonia clandestina, quia voluit matrimonia celebrari coram proprio paroco; sed etiam per procuratorem possunt celebrari coram proprio paroco; ergo &c. Quarto debet vitari correctio iuris communis; sed dicendo, quod consensus sufficienter exhibetur coram paroco, & testibus, etiam cum exhibetur per procuratorem; vitatur correctio iuris communis; ergo &c. Quinto Tridentinum, vt dicit in proximo illius decreti, voluit irritare solum illa matrimonia clandestina, quae semper ecclesia abhorruit, & puniuit, ac censuit clandestina; sed ecclesia matrimonia contracta per procuratorem coram paroco, & testibus, non censuit clandestina, sed publica, ac non abhorruit, & puniuit, sed positiuè approbauit dicto cap. final. de procurat. in 6, ergo &c.

10. Quæritur decimo, vtrum valeat matrimonium per procuratorem, cui data sit commissio absque presentia parochi, & testium. Negant aliqui ex doctrina Riminaldi conf. 467. num. 78. docentis solemniter requisitam ad aliquem actum requiri etiam ad dandam commissionem faciendi illum actum. Dicendum nihilominus hoc non requiri, ac proinde matrimonium contractum coram paroco, & testibus esse validum, etiam si commissio non sit data coram paroco, & testibus. Probatum primo. Nam Tridentinum sess. 24. de matrimonio cap. 1. solum irritat matrimonium, quando ipse met contractus non celebratur coram paroco, & testibus; sed mandatum contrahendi non est ipse contractus; ergo &c. Secundum, quia praxis ecclesie est contraria. Tertium, quia iure antiquo hæc solemnitas non requirebatur nec per tacitos intellectus inducenda est legum correctio. Quartum, quia si Tridentinum voluisset irritare mandatum datum non coram paroco, & testibus, id expressisset l. item apud Labeonem §. ait Prator ff. de Iniurijs. Ad fundamentum contrarium neganda est illa doctrina Riminaldi.

11. Quæritur undecimo: vtrum matrimonium contractum per procuratorem sit sacramentum.

Respondeo Durandum, Caietanum, Viatoriam, Canum, aliosque complures docuisse matrimonium contractum per procuratorem esse verum matrimonium, sed non esse sacramentum. Dicendum nihilominus cum communi sententia matrimonium per procuratorem contractum esse sacramentum,

vt pluribus auctoribus relatis docet Sanchez disput. 11. num. 27. Probatum primo: nam matrimonium contractum per procuratorem est indissolubile; sed cap. quanto de diuortio habetur, ideo matrimonium Christianorum est indissolubile, quia est sacramentum; ergo &c. Secundum, quia Concilium Florentinum, & Tridentinum definiunt absolute matrimonium fidelium in lege noua esse sacramentum. Tertium, quia Christus contractum matrimonij inter christianos voluit esse sacramentum.

12. Dicendum secundo: quando matrimonium sit per procuratorem, nec procurator est minister, nec in ipso recipitur sacramentum, nec verba ipsius sunt materia, & forma sacramenti, sed ipsi principales contrahentes sunt ministri, & recipiunt in se sacramentum, & expressiones consensuum ipsorum, quatenus innotescunt per procuratorem, sunt materia, & forma. Ratio est, quia matrimonium contractum per procuratorem est eiusdem rationis, ac matrimonium contractum sine procuratore; ergo habet eandem materiam, & formam, in eodemque subiecto recipitur, ac fit per eundem ministrum. Hinc inferitur non peccare procuratorem, si matrimonium nomine alterius contrahat in statu peccati mortalis. Ratio est, quia neque sacramentum recipit, neque est minister ipsius. Inferitur secundo, contrahentes matrimonium per procuratorem obligari sub mortali ad hoc, vt sint in statu gratiae eo tempore, quo prævident matrimonium contrahendum. Ratio est, quia cum tunc recipiant sacramentum, tunc debent esse in statu gratiae, ac non habere obijcem.

13. Dicendum tertio, optime faciunt contrahentes per procuratorem, si postmodum ipsimet iterum matrimonium contrahant ad tollendos scrupulos. Ratio est, quia cum matrimonium sit contractus, potest saepius iterari, sicut alij contractus.

14. Opponi potest: licet alia iudicia possint exerceri in absentem, tamen sacramentum peccentiae, quia ita est iudicium, vt sit simul sacramentum, non potest exerceri in absentem; ergo licet alij contractus possint fieri cum absente, tamen matrimonium, quia ita est contractus, vt sit simul sacramentum, non potest fieri cum absente.

Respondeo, negando consequentiam. Ratio est, quia alia sacramenta fuerunt de nouo instituta à Christo, qui voluit ea non posse fieri, & conferri à ministris absente. At contractus matrimonij non fuit à Christo de nouo institutus, sed ille, qui etat ante, est elatus ad rationem sacramenti, sed ante contractus matrimonij, sicuti ceteri contractus, poterat fieri per procuratorem inter absentes; ergo etiam nunc, ita vt sit simul sacramentum.

15. Quæritur duodecimo, vtrum matrimonium possit contrahi per epistolam, vt

vt sit validum, & sacramentum.

Respondeo constare, quod iure antiquo matrimonium per epistolam celebratum erat validum, l. *mulierem* ff. de ritu nuptiarum: l. *sufficit* ff. de sponsal. Dubitatur, vtrum post Tridentinum sess. 24. cap. 1. sit validum. Negant aliqui, quia eatenus matrimonium per procuratorem, si fiat coram Parocho, & testibus, est validum, quatenus procurator, & consentit nomine absentis, & simul accipiat consensum nomine absentis; sed epistola lecta coram parocho, & testibus, licet possit exprimere consensum absentis, tamen non potest nomine absentis acceptare consensum presentis; ergo &c.

15. Dicendum nihilominus: matrimonium etiam post Tridentinum posse validè celebrari per epistolam coram parocho, & testibus. Probat ex dictis de matrimonio celebrato per procuratorem, & confirmatur explicando, quo pacto vtriusque coniugis consensus, & acceptatio possit præstari coram parocho, & testibus. Primò mittens epistola potest scribere se non solum facere sui corporis traditionem, sed etiam ex tunc traditionem per alterum sibi faciendam acceptare; tunc enim si epistola lecta coram parocho, & testibus, alter consentiat, vtriusque traditio, & acceptatio fit coram parocho, & testibus. Hinc sequitur matrimonium per epistolam contractum esse sacramentum, siquidem ex dictis qu. 294. num. 6. omne verum matrimonium Christianorum est sacramentum.

QVAESTIO CCXCVI.

Quo iure, & ex qua causa matrimonium sit indissolubile.

1. **S**upponendum primò matrimonium ratum, & consummatum quoad significationem differre in hoc, quod matrimonium ratum significat vnionem Christi cum anima per charitatem; consummatum autem significat vnionem Verbi cum humanitate Christi, vt habetur cap. *debitum de bigamis*, & colligitur ex alijs textibus, qui videri possunt apud Sanchez lib. 2. disput. 13. num. 1. & quia vnio Christi cum anima per charitatem est dissolubilis per peccatum, mortale vnio autem hypostatica Verbi cum humanitate Christi, est omnino indissolubilis; ideo matrimonium ratum significat vnionem dissolubilem; matrimonium consummatum significat vnionem indissolubilem.

2. Supponendum secundò certum esse apud omnes iure saltem diuino indissolubile esse matrimonium consummatum. Matthæi enim 19. dicitur: *Quos Deus coniunxit, homo non separet*; 1. ad Corinthios 7. *his qui matrimonio coniuncti sunt precipio non ego, sed Dominus uxorem a viro non discedere*; ad Romanos 7. *Mulier vivente viro obligata est legi*; & quia lex

Christi obligat etiam infideles, matrimonium consummatum etiam infidelium est indissolubile. Nec obstat, quod de facto dissoluitur, cum vnus tantum convertitur ad fidem; Nam tunc dissoluitur ex dispensatione Christi explicata per Apostolum 1. ad Corinth. 7.

3. His positis, quæritur, quo iure matrimonium sit indissolubile. Num iure naturali, & ex ipsa matrimonij natura: an potius iure positivo diuino, vel merè Ecclesiastico? Quatuor sunt sententiæ. Prima docet tum matrimonium ratum, tum consummatum indissolubile esse iure diuino. Secunda Abulensis 1. Regum cap. 8. quæst. 97. 103. & 113. docet esse indissolubile solum ex præcepto positivo Dei composito à Christo in lege Evangelica, siquidem statim post naturam lapsam vsque ad Christum licitum fuit repudium. Tertia docet indissolubilitatem matrimonij oriri ex iure humano Pontificio. Quarta, quam vt probabilior sequimur, dicit duo: Primum est aliqualem indissolubilitatem esse de natura matrimonij, adeoque competere etiam matrimonio rato de iure diuino, & naturali. Secundum est omnimodam indissolubilitatem non convenire matrimonio ex iure naturæ, nec ex ratione sacramenti, sed ex ratione, qua Christus euexit illud ad significandam vnionem indissolubilem Christi cum Ecclesia per carnem assumptam; & quia hæc significatio convenit tantum matrimonio consummato, vt dicitur etiam num. 1. ideo solum matrimonium consummatum habet omnimodam indissolubilitatem.

4. Probatur prima pars, quod nimirum matrimonium etiam ratum ex sua natura habeat aliquam indissolubilitatem. Primo enim cap. vnico de voto in 6. dicitur matrimonium fuisse institutum à Deo, & accepisse indissolubilitatem in statu innocentie, & in Tridentino sess. 24. initio dicitur: *Matrimonij perpetuum, indissolubileque nexum primus humani generis parens diuini spiritus instinctu pronunciauit, dum dixit, hoc nunc os &c.* sed in statu innocentie nullum erat præceptum Ecclesiasticum, immò nec diuinum posituum, excepto præcepto abstinendi ab arbore vetita; ergo &c. Secundo: si non esset ex sui natura indissolubile, dissolui posset mutuo consensu, more aliorum contractuum; ergo &c. Tertio: finis matrimonij est generatio, & recta educatio proles; sed si esset dissolubile, nec proinde mulier modo nuberet vni, modo alteri, proles semper esset incerta, ac proinde non posset bene educari; ergo &c.

5. Probatur secunda pars, & primò quidem ostenditur omnimodam indissolubilitatem non convenire matrimonio iure naturæ; nam ius naturæ semper, & apud omnes manet idem; sed ante legem Evangelicam matrimonium etiam consummatum poterat dissolui per repudium, & post legem Evangelicam matrimonium etiam consumma-